

*Verbo Dei* exposuisset, procedit in allegorica ejusmodi expositione usque ad initium v. 9. *Respiciam vos*, finitque: *Sed ubi ad eum* (Petrum) respexit dominus, continuo subleuatur. An sola hic desideretur *δοξολογία*, an Homilia, quae tamen jam in Codice 8. Columnas implet, abrupta fit, mihi non liquet. *Caesarii* esse, ut iterum dicam, suadet etiam ratio citandi sacrum Textum, quae verbis se non adstringit.

CCCCV.

R. 76 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 104. 8. fat bene scriptus, titulis et initiorum literis partim iniatis, partim deargentatis, oblatus cum pluribus aliis Bibliothecae a *Thoma M. Alfano* O. P. anno 1721. complectitur *Libros III. Sententiarum* dictos etiam *de summo Bono* autore *Isidoro*, qui Sec. VII. Sedem *Hispalensem* illustravit. Capitulare omnium III. *Librorum* praecedit. Liber I. praescriptus: *Ysidorus de Summo bono*, incipit: *Summum Bonum Deus Est. quia incommutabilis est. et corrumpi omnino non potest.* &c. Textus collatus cum Edit. *Jac. du Breul Paris. 1601. p. 617. f.* nihil peculiare offert; est enim a secunda manu passim emendatus. Differt tamen quandoque divisio Capitum, et in fine L. III. Capita duo LXI. *De Brevitate Vitae*, et LXII. *De Exitu* desunt, quae nobis forent LXV. et LXVI.

Foliis 3. ultimis Sec. XIII. adscripta sunt quaedam PP. puta *Au-*

*gustini* et *Ambrosii*, item *Gratiani* loca de Eucharistia.

CCCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 96 XIV. Folior. 87. f. min. per duas columnas exaratus caractere nitido luculento, rubricis decorus, et a *Joh. Fabro* Praefule nostro a. 1540. suo ad *D. Nicolaum* Collegio donatus teste Nota praevia impressa sequentia ad *S. Isidorum Hispal.* Ep. Sec. VII. Scriptorem relata condit Opuscula. I. post *Elenchum Capitum XXXI. Incipit liber ysidori de summo bono.* Titulus iste a primis Opusculi verbis provenit: *Summum bonum est &c.* Ceterum inscribitur *Sententiae*, et in III. Libros divisum est, ut Edit. *Paris. 1601. p. 617. f.* Quod divisionem in Capita adinet, Caput Edit. XVI. *de Ecclesia et Haeresibus*, in Codice divisum est in duo, quorum XVII. inscribitur *De hereticis*, et ibi incipit: *Non posse hereticos habere veniam &c.* Caput sequens *de Gentilibus* in Codice melius inscribitur *de Philosophis.* Divisio Libri II. consentit cum Editis, sed Liber III. pro Capp. LXII. censet LXVI. differentia inde a Cap. L. oriunda. Integra ceterum sunt omnia, lectioque sic fatis proba.

II. fol. 52. *Ysidorus de inevitabili: sive de libero arbitrio.* Erravit Librarius. Quanquam enim quaedam *Isidori*, et praecipue L. II. *de Different. spirit.* Articulus 27. *Arbitrium est voluntas libere pote-*